

1440 ala illa, quæ ad Brixia præsidium cum eo relicta fuerat, Petrus Advocarus cum montanis trecentis, & Theosalvius cum sex mercenariorum centuriis. Italus, explorato hostium consilio, Fœlicianum concessit: in quem Brixienfis ferox confestim impetum fecit. Ille vero, signis ocyus illatis, contracto sub mœnibus oppidi prælio, quum ab ortu solis ad meridiem paribus animis utrinque pugnatum esset, Venetus fessus & reliqui pugna sensim excedere cœperunt. In eos pedes referentes tantus est impetus ab hoste factus, ut solutis ordinibus, vi coacti sint dare terga. Thaddæus, paucis amissis, perpetua fuga in Pedemontanos abiit: unde non multo post cum copiis, quas ex Bergamo Barbarus subito accersiverat, ne aliqua major clades adiretur, Gavardum reversus, præsidium quod hostes ad Euphemianum habebant, expugnavit.

*Verona pre-
mitur.*

*Leonicum
capitur.*

In hoc statu Brixienfium res erant, quando Sforcia, junctis, ut dixi, cum Mellita copiis, in hostem movit. Premebant illi interim Veronam, mœniaque bellicis operibus quatiebant. Explorato igitur eorum numero, factique de Sforciæ adventu hostes certiores, machinis impedimentisque subito in Mantuanos missis, solutaque obsidione, cum omnibus copiis Suavium abiire. Est id Veronensis agri oppidum. Hic illi fossam in subjectas paludes ad Athesim attinentes quinque passuum millia a Suavio ductam tenebant, obicibusque & propugnaculis munitam. Qua defensa, apparebat, Sforciam ab omni ope Veronæ, Brixia, & Bergamo ferenda exclusum iri. Ille interim Leonicum acri oppugnatione adortus, ante notam vi capit, captumque militi (ut Papius scribit) diripiendum tradit. Blundus plurimis certaminibus oppidanos frustra tentatos ait, locumque pertinacissime defensum: atque ubi Petrus Brunorus, Troilus, uterque Sforciæ charissimus, hic tragula, ille plumbea glande graviter vulnerati occubuisse crediti sunt, tum ducem ipsum ira accensum, totis viribus incubuisse, eo consilio, ut captum vi oppidum non solum diriperet, sed funditus etiam everteret: ac tum demum a Leonicensi deditioem

fa-